

Christi vastare satagunt, variosque errores seminare intendunt; cum vitia corrumpunt pietatem; cum ferus iste nimiumque crudelis Dei hominumque hostis, Satan, ταῖς μεθοδείαις nos circumvenire, & τὰ βέλη τὰ πεπυρωμένα Eph. VI, 16. eiaculari audet; cum Mundus subdolis suis planeque fallacibus illecebris ad suam amicitiam, quae tamen ἔχθρα τῷ θεῷ est, Iac. IV, 4. nos blande inuitat, variasque struit insidias; cum concupiscentia insita, quae, dicente IVSTINIANO, semper ignem secum gerit & gladium, ad peccandum varie nos allicit; tunc arma capienda sunt,

est fas sumere bellum,

Sin aliter pacis non licet arte frui.

Nulla in hoc bello spes conciliationis: Non enim certatur pro pecuniis, non pro gloria, sed certatur ne redigamur in seruitutem & captiuitatem. Quamobrem inimicitiae sunt irreconciliabiles. Vid. CHRYSOSTOMVS Hom. XXII. in epistolam ad Ephesios.

§. VII.

Pugnandum autem est in genere Christianis omnibus, in specie tamen Ministris Verbi. *Viuerē, mi Lucili, militare est*, inter ipsos etiam ethnicos SENECA agnouit epist. 96. & epist. LI. *Nobis, ait, militandum est, & quidem genere militiae, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandae sunt imprimis voluptates, quae saeva quoque ingenia ad se raperunt.* Ex doctorum ecclesiae choro consentit plane CHRYSOSTOMVS Orat. XV. in Acta: Ἀγών ἐστὶν ὁ παρῶν χρόνος· πόλεμος ἐστὶ, καὶ μάχη. Et prolixius Homil. III. in I. ad Thessalon. p. 286. 287. Tom. VI. Opp. πολέμος καιρὸς πᾶς ὁ τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐστὶ χρόνος. πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; ὁ διάβολος ἐφῆσηκεν αἰεὶ. σωματικὰ πάθη μυρία ἐπιτίθεται ἡμῖν, ἅπερ ἀναγκάσιον διελθεῖν, ἵνα μὴ μάτην ἑαυτὸς ἀπατῶμεν. τί γὰρ, εἰπέ μοι, ἡμῖν ἔ πολεμεῖ; ἔ πλῆτος, κάλλος, τρυφή, δυναστεία, ἐξουσία, βασικανία, δόξα, ἀπόνοια; ἔ γὰρ μόνον ἢ ἡμετέρα δόξα πολεμεῖ κωλύσσει πρὸς ταπεινοφροσύνην καταπίπτειν, ἀλλὰ καὶ ἢ ἐτέρων εἰς

B

φθόρον